

one; quid enim dicendum esset de *Insulis*, quæ accrescente humano genere, res ipsas non suppeditarent Communioni sufficientes, & sitantus non foret in iis proventus, ad vitam bene beateque transigendam singulis, qui multiplicatis generationibus sunt exorti? Annon tunc ipsa rerum natura divisionem exigeret, & secundum proportionem suam excluderet ac arceret aliquos, ut earundem usu intercluderentur? Sed cum talia, Ipse CEL. AUTOR adverterit & abundantiam rerum præsupposuerit, annon tunc argumentum ejus est a particulari? Quod quoisque in demonstratione genuina valeat, judicio tanti Philosophi committo. Speciali potius demonstratione, & (b) non dicam de brutis, volucribus, aut piscium variis generibus, in quibus demonstratum est, quod propria habeant a benigna natura bona, propria receptacula, propria loca, cuique sic tributa, ut ab aliis per vices occupari nequeant; quorsum omnino simul referri debet, quod foetus suos educant, & contra vim quamcunque defendant, a recessibus, nidis & voluntabris abigant, quicquid proprius se illis admovere molitur, & usque adeo sui amore ebriæ sint res omnes, ut nec quicquam reperiatur in tanta varietate, quod in commune consulat, & situm ac quæstum proprium alieno postponat; Quænam siquidem foret tam crudelis natura, quæ vellet sibi omnia conformia reddi cum præsentanea pernicie? Sed peculiariter (c) circa hominem occupabor, ubi certum mihi statuitur, Summum Numen massam primigeniam successive in classes & species constituisse, terræque ipsi fines suos tribuisse, & si hominem secundum statum naturalem